

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Sebastiani Castellionis Sacrorum Dialogorum Libri
Quatuor, Quos Postremo Ipse Recognovit: Argumenta
Singulis Dialogis Praeposuit, Et Sententias Sublicit ...**

Châteillon, Sébastien

Francofurti, 1761

VD18 12886300

Ragvel.

urn:nbn:de:gbv:45:1-18303

locavi, (ut tu scias) qui omnes ante ejus con-
gressum mortui sunt. Verum ede & bibe, &
istam rem omitte. *Tob.* Nihil agis: neque
cibum ego, neque potionem capiam, quin tu eam
mihi in matrimonium concederis. *Rag.* Post-
quam ita infixam in animo habes, obtineto sane.
Et quia confanguinei estis, ego jam nunc eam
tibi in matrimonium trado, ex instituto Mosaico
& Israelitico. Huc ades Sara, accipe hanc To-
bia. Jova Deus cœlestis vos hac nocte custodiat
incolumes, suaque in vos clementia utatur.

SENTENTIA.

*Piorum opera sunt autore & duce Deo, Pii
voluptatibus etiam licitis imperant, non serviunt.
Pii fugant dæmonia. In pios potestatem non ha-
bet dæmon.*

RAGVEL. Tob. 10.

ARGUMENTVM.

Tobias Ragueli socero suo valedicit,
secum abducens illius filiam Sarā, uxo-
rem suam.

Tobias, Raguel.

Mi ficer, Raguel, tu a me postulasti, ut mane-
rem apud te dies quatuordecim, & cum
filia tua uxore mea Sarā suaviter viverem: id
quod tibi concessi. Nunc finita est dies: itaque
peto abs te, ut me dimittas. ^{a)} Mei enim pa-
rentes

L 5

rentes

^{a)} Pii nati de parentibus solicii sunt.



rentes ambo dies numerant, neque putant hoc loco rem esse. *Rag.* Doleo, me tam parvum spatiuin a te petuisse. Sed nihil obstat, quo minus id fiat longius. Mane apud me diutius: ego mittam ad tuum patrem nuncium, qui ei totum negotium renunciet, ne sit de te solicitus. *Tob.* Quæso te, noli me remorari: cupio omnino ad parentes reverti. *Rag. b)* Quando urges, non remorabor invitum. En trado tibi meam filiam Sarah, nec non dimidium facultatum mearum. Ite feliciter. Deus Jova, Deus majorum nostrorum vos fœcundet, mihique ex vobis liberos ^{c)} mares ostendat, qui Jovanæ legi dent operam. Agite, deosculari vos volo. Vide mea filia, ut tuum socerum, & socrum (qui nunc tui parentes sunt) habeas in magno honore: maritum diligas; familiam regas, domum gubernes: & te ipsum præstes inculpatam: & cum bona pace profecta efficias, ut bonam de te famam viventes adhuc læti hilaresque accipiamus. En tu Tobia fili, vale: Joya te Deus ecclœstis salvum perducat, mihique ex te & filia mea Sara liberos Jovæ studiosos, eique probatos ostendat, antequam moriar. Ecce Sarah filiam meam in potestate tua: noli eam unquam male tractare. Ite sane incolumes. S. Valete, parentes charissimi! Valete, cognati & amici omnes! T. Ago Jovæ gratias,

^{qui}
b) Cupientem discedere hospitem remorari non oportet.

c) Mares fœminis suo modo præstantiores sunt.



qui me l̄atum reddiderit, & tot beneficiis tam
mirifice affecerit.

SENTENTIA.

*Uxor is est sequi virum, Et propter eum paren-
tes patriamque relinquere. Est enim matrimonii
conjunctione ardior, quam naturæ.*

T O B Æ V S. Tob. II.

ARGUMENTVM.

Tobias ex Media reversus, venit ad pa-
rentes, & felle piscis oculos patris sanat a
cœcitate: qua de re pater Deo gratias agit.

Raphael, Tobias, Anna, Tobæus.

Frater, tu scis, quam sollicitum reliqueris utrum-
que parentem. Quapropter antecedamus
ego & tu, uxore una cum famulis, reliquoque no-
stro comitatu subsequente. *Tobias.* Bone mones.
Raph. Præpara fel piscis. *An.* Atat, o mi vir!
adventat meus Tobias, cum comite; curro ei ob-
via in. *Raph.* Tui patris, quem video esse cæcum,
oculi felle isto aperientur atque sanabuntur. Ita-
que cum ad eum accesseris, illinito ejus oculos
isto felle: tum ille fellis mordacitatem sentiens,
sibi oculos fricabit, atque ita dejecta albugine, &
cœlum & te latus videbit. *An.* O gnate, iam
mortem non deprecor, postquam tuum conspe-
ctum cernere licuit. *Tobias.* Salve mea mater.
Sed accedit hic pater. Hei mihi collapsus est:
accur-

